



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XIII. Idem a in Concilio generali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

præsumuntur minus docti, & in rebus fidei parum instructi, cum ea ad officium illorum non spectent, & plerumque carent illamorum honestate, quæ præcipue requiritur ad hanc disputationem: cum tamen utrumque præsumatur, & requiratur in clericis, qui tanquam in fortem Domini vocati, id exactius præstare debent, juxta tradita in cap. cum in cunctis, de elect. Laici ergo de mysteriis fidei disputantes, peccant lethaliter, etiam si non incurrant excommunicationem ipso jure, ut latè docent Eymericus p. 1. Directorii, q. 6. ubi Penana, Saelles parti. 1. de mysteriis tribunal. fidei, lib. 1. cap. 10. regul. 86. & 87. Castropalao tom. 1. operis moral. tract. 4. disp. 2. punct. 4. n. 4. Simancas de Caibol. num. 8. & tit. 59. n. 11. Sanchez lib. 2. summa, c. 6. Decianus tract. crimin. lib. 5. cap. 18. Azor parti 1. insit. lib. 8. cap. 26. q. 1. Coninch de infidelit. disp. 18. dub. 9. numer. 145. Franc. Valens in concord. juris Pontif. 2. part. fol. 248.

10. Traditur ratio decidendi.

His suppositis ratio præsentis assertionis provenit ex eo, nam docere, & prædicare in Ecclesia propriè, & peculiariter ad presbyteros, & sacerdotes spectat. Sanctus Maximus c. 8. cælest. hierarch. ibi: Presbyteros docere debere, & munus offerre. Quia in re habemus exemplum Christi Domini, qui non nisi septuaginta discipulis, & Apostolis docendi munus commendavit, quibus Episcopi, & Presbyteri, sicut in officio, ita & in ordine successerunt. Habemus etiam Spiritus sancti testimonium, quo jubente Saulus, & Barnabas per impositionem manuum Episcopi ordinati sunt, ut segregati à cæteris per ordinationem ad annunciandum Evangelium proficiscerentur, ut refertur cap. 13. Actuum Apost. Habemus etiam exemplum Apostolorum, qui ad docendum Evangelium Episcopos, presbyterosque consecraverunt: & Paulus 1. ad Timoth. cap. 3. Episcopos, seu Presbyteros idoneos ad docendum ordinari præcipit: & ad Titum cap. 1. presbyteros in sermone & doctrina laborare dicit: & Actuum Apost. cap. 20. idem Sanctus ait: Presbyteros Ephesinos postros esse ad regendam Ecclesiam Dei. Unde laici non possunt hoc officium usurpare, præcipue in contemptum sacerdotum. Quare Tertullianus de præscript. cap. 42. hæreticos exprobrat, quod conculcatis ordinum ecclesiasticorum gradibus, omnes timeant, omnes scientiam polliceantur: quod etiam mulieres apud eos docere audeant; quod & laici sacerdotalia munia injungant. De quo abusu laicorum ita suo sæculo conquereretur Nicephor. Gregoras lib. 1. histor. ibi: Ratiocinationibus, & sermonibus syllogisticis, velut herbe, & pas-

cuus armenta, omnes inhiant; quodque opificibus etiam effusa sunt arcana Theologie: & illi, qui de re fidei ambigunt, & qui nec quomodo credendum sit, sciunt; nec quid sit illud quod credere se dicunt; illi (inquam) & fora, & porticus, & theatra omnia Theologia compleverunt. Rectè ergo in præsentia Innocentius prohibet, ne cives laici Mentenses juxta abusum illius dicecesis audeant prædicare, aut in suis conventiculis de mysteriis fidei disputare.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, deducta ex cap. secundum, 19. dist. nam accipiendus est textus ille, dummodo minister prædicans sit ex destinatis ab Ecclesia, & electis ad docendum, & prædicandum; nam tunc si ille sit bonis moribus præditus, sive malis, id attendendum non est, sed tantum quid prædicet, ut jam dixi in cap. inter cætera, de offic. ordin. Nec obstant exempla laicorum prædicantium pro augmento difficultatis adducta, nam duplici modo responderi potest. Primò, quòd cum prioribus Ecclesiæ sæculis pauci essent presbyteri, & saviente persecutione non ita facile reperirentur idonei fideles, qui doctrinam suam de prædicatione prodesse fratribus possent, aliquibus laicis per doctis id munus Episcopi commendabant. Secundò responderi potest, laicos illos nec publicè in Ecclesia docuisse, nec publico Ecclesiæ ministerio functos fuisse, sed potius erudiendis catechumenis destinatos fuisse, ut eos privatim erudirent, ut docuit Hallier. de hierarch. jurisd. lib. 1. cap. 7. Sanè quandoque ut hoc etiam strictim admoneam, indulget R. P. justas ob causas plerisque religiosis, ut licet ad sacros ordines nondum promoti, possent tamen publicè concionari, quemadmodum anno Domini 1584. Gregorius XIII. fecit, concedens id posse fieri à Societatis Jesu clericis primà dumtaxat tonsurâ insignitis. Nec obstat quod dicebamus, laicos interesse Conciliis generalibus, ubi de præcipuis fidei articulis agitur: nam et si Principes supremi, seu eorum Legati Conciliis intersint, non tamen vocantur, quia in rebus fidei suffragium habeant, ut eorum auctoritate, & potestate aliquid decernatur; sed solum invitantur, convocanturque, ut sint defensores, exequutoresque Decretorum ipsius Concilii, & ut si quid de Reipublica Christiana salute decerni debeat, consilium præstent, ut probant Bellarminus tom. 1. controvers. lib. 1. de Conciliis, cap. 15. & 16. Germonius lib. 2. de sacrorum immunit. cap. 12. Valdes de dignit. Regum Hispan. cap. 1. P. Marcha parti 1. concord. lib. 2. cap. 6.

## CAPUT XIII.

Idem <sup>a</sup> in Concilio generali.

EXcommunicamus itaque, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam, orthodoxam, & Catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes hæreticos universos, quibuscunque nominibus censantur, facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de varietate conveniunt in id ipsum.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> Generalis. ] Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. ubi cap. 3. & in c. 2. hoc titul. in quarta compilatione reperitur textus hic, de quo Concilio nonnulla notavi in cap. 1. de sum. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

ma Trin. & commentarium hujus textus dedi supra in cap. 6.

b Inidipsum. ] Faciunt Imperatores in l. 60. Cod. Theodof. de hæreticis, ibi: Diversa sunt nomina, sed una perfidia. Prudentius lib. 2. contra Symmachum: Una superstitio est, quamvis non concolor error.

S 2

§.

S.

**D**amnati verò presentibus, sæcularibus potestatis, aut eorum a Ballivis b relinquantur animadversione c debita puniendi, clericis prius à suis ordinibus degradatis, ita quod bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, d confiscentur: si vero clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt.

## NOTÆ.

1. a **Ballivis.** ] Ballivus idem est ac Prætor, seu Rector plebis sæcularis, ut in testamento Philippi Augusti apud Rigordum anno 1189. *Et in terris nostris, qua propriis nominibus distincta sunt, Ballivos nostros posuimus, qui in ballivis suis singulis mensibus ponent unum diem, qui dicitur assisia, in quo omnes illi, qui clamorem faciunt, recipient jus suum per eos.* Et in constitutione D. Ludov. apud Guillelmum Nangium de gestis Ludovic. *Quæstus quidem illicitos, quantum possibile fuerit, in Ballivis, & aliis curialibus nostris reprimere cupientes, Ballivos, Præpositos, Vicecomites, & villarum Majores, ac quoscunque sub eis in officiis constitutos juramento subscripto diximus adstringendos.* Inde & Baillivorum territorium, seu districtum balliam dixerunt Innoc. III. lib. 2. epist. 252. *Præposituras, quas ballias vulgariter appellatis.* Et alii apud Joannem Vossium lib. 2. de vitis sermon. cap. 3. *Dadium Alteserram de Ducibus lib. 2. cap. final.* quo in sensu Baillivi, in præfenti ponuntur pro Rectoribus juridicis, seu officialibus Magistratus sæcularis.

2. b **Relinquantur.** ] Ita ut ipsi Judices sæculares nullatenus possent examinare acta processus, vel justitiam sententiæ ab Inquisitoribus prolata, ut probant Simanc. de Catholic. cap. 36. num. 5. *Afflictis in proœmio constit. Neap. cap. 1. à num. 56. Jul. Clarus lib. 5. præctio. §. ult. quest. 96. Aviles in capitulis Prætor. cap. 20. numer. 20. Scortia in select. Pontific. consilii. theorem. 34. Carena de offic. Inquisit. 2. part. tit. 2. §. 6. num. 44. D. Joseph. Vel. in cap. 1. de offic. ordin. 2. part. num. 38. Parexa de instrum. edit. part. 1. tit. 2. resol. 8. num. 21.* Nam in hac specie Judex sæcularis est merus executor; & si de actis processus, vel justitia sententiæ cognosceret, per consequens de crimine hæresis judicaret, quod omnino illi prohibitum est, cap. ut inquisitionis, §. prohibemus, hoc tit. in 6. Nec contrarium deducitur ex Authentico de SS. Episcopis, §. si quis contra, vers. Si verò, ibi: *Secundum leges litem examinans.* Nam in eo textu non agitur de crimine merè ecclesiastico, ut est hæresis; sed de crimine sæculari à clerico admisso: & quia ante authenticam statuimus, Cod. de Episc. & Cleric. Judex sæcularis eo casu etiam de clerico criminoso cognoscebat, ideo ibi docetur, posse eum litem examinare. At verò in præfenti agimus de crimine merè spirituali, cujus cognitio omnino denegata est Judici sæculari. Quare communis praxis Hispaniæ est, ut cum hæretici relaxandi sunt brachio sæculari, in eo loco ubi sententia publicè recitanda, & pronuncianda est, Judex sæcularis adsit, cui post sententiam recitatam statim rei comburendi traduntur, qui illic eos ad locum supplicii adducit, & ita sententiam executioni mandat.

Olim tamen judices etiam sæculares in hæreticos animadvertisse, constat ex variis constitutionibus Imperatorum Constantini, Constantis, Theodosii, & Justiniani, ad Præfectum Prætorio missis, quæ extant in utroque Codice *sub tit. de hæretic.* & ex D. Augustino epist. 128. 129. 158. & 160. ubi intercedit pro hæreticis Donatistis apud Donatum Proconsulem Africa, & Olimpium Comitem Marcellinum, ut notarunt Balsamon in *nomocan. Phocii, tit. 9.* Michael Rouffel. lib. 6. *hist. Pontific. cap. 1.*

c **Debita.** ] Licet in jure satis expressum non sit, quæ sit hujusmodi debita animadversio, & pœna, quæ hæretici ab ecclesiastico judice damnati, & relaxati, per sæcularem potestatem officii debeant; tamen generali consuetudine jam ab antiquis temporibus receptum est, ut ea pœna accipiat pro ultimo supplicio, ut probavi in cap. ad abolendam, hoc titulo, ubi etiam notavi hanc ignis pœnam hæreticis inflictam valde consonam esse juri divino, civili, & ecclesiastico.

d **Confiscentur.** ] Cui tamen fisco applicentur, non constat apud juris Interpretes. Fisco Ecclesiæ Romanæ adjudicari, docuerunt Covarr. lib. 2. var. cap. 9. *littera B.* Bernardus Diaz in praxi, cap. 131. Sed verius est, pro regionum varietate, nec non bonorum diversitate boni ipsa applicari; nam in provinciis Imperialibus bona dividuntur pro æqualibus partibus fisco Imperii, Tribunali Inquisitionis, & Episcopo diocesano, juxta textum in cap. excommunicamus, §. damnati, hoc titulo in 6. in aliis verò provinciis Ecclesiæ quoad temporalia etiam subiectis, partim adjudicari Camera Apostolicæ, partim verò Tribunali S. Inquisitionis, referunt Peregrinus de jure fisci lib. 4. tit. 5. num. 32. Jul. Clarus §. hæresis, num. 11. Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 44. num. 3. Sanchez *diel. lib. 2. cap. 20.* Castropalao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. disput. 5. punct. 1. & 23.* Penna ad 3. part. *Direct. Inquisit. comment. 158. per totum.* Petrus Greg. lib. 2. partit. tit. 6. cap. 7. & lib. 4. tit. 15. cap. 14. *Salalles de materiis Tribun. lib. 6. cap. 4. regul. 459.* In tribunalibus autem Hispaniæ generaliter, & absolute bona adjudicantur fisco Regis, ut testatur Covarr. lib. 2. var. cap. 9. n. 12. Azevedo in l. 1. tit. 3. lib. 8. *recopil. n. 200.* Diana part. 4. tract. 8. *resol. 44.* Bobadilla lib. 2. *polit. cap. 17. n. 201.* qui docet, posse judicem sæcularem hanc confiscationis pœnam hæreticis imponere, si forsan ommissa fuerit ab Inquisitoribus. *Hermosilla in l. 2. tit. 4. part. 5. gloss. 1. & 2.* & beneficio Regum Catholicorum hujusmodi bona cedunt pro expensis Tribunalium, & salariis ministrorum, licet pro ipsis adjudicandis, & de litibus eorum occasione motis terminandis, sit in quolibet Tribunali Judex bonorum Regio titulo creatus, de cujus jurisdictione agit *Quemada in questionibus fiscal.*

S.

Qui autem inventi fuerint solâ a suspitione notabiles, nisi juxta considerationem suspitionis, qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua & purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur, ita quod si per annum in ea communicatione persistierint, ex tunc velut hæretici c. condemnentur.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Suspitione notabiles.* ] Antea omnia enim, ut locum habeat præiens constitutio desideratur, quod reus sit suspectus de hæresi, *cap. cum contumacia, hoc tit. in 6.* & si ob aliud crimen excommunicatus sit, etiam elapso anno ut hæreticus non condemnatur, sed tantum suspectus de hæresi redditur, quia persistit per annum in excommunicatione, *cap. final. de pœnis*, ubi Glossa, Trident. *sess. 23. de reform. cap. 3.* Covarr. *in cap. alma, l. p. §. 7. num. 10.* Simanc. *de Cathol. cap. 27. num. 4.* Albertinus *in rubric. de hæretic. q. 13. num. 32.* Barb. *ibi*: tam ad effectum indicendæ purgationis, *cap. ad abolendam, vers. Quia vero, hoc tit.* quam ut procedi possit per Inquisitores contra ipsum, & ut vocetur de fide suspectus, & sequatâ contumaciâ damnentur, juxta formam textus *in cap. cum contumacia, hoc tit. in 6.* docent Scaccia *de judiciis lib. 1. quest. 8. n. 36.* Castro Palao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 4. punct. 2. num. 5.* Diana *4. part. tract. 7. resol. 17.* Salelles *tom. 3. de materiis Tribun. lib. 5. cap. 5. regul. 39. 4.* quo casu exaudiendi sunt PP. Concilii Ravennat. 2. tempore Clementis V. *rubrica 28.* Quæ excommunicationis sententiam maxime contemnerent, in sua indurata, & pertinaci contumacia indurescunt, nec curant satisfactione præstita in commissis absolutiois beneficium impetrare, volentes talium cancro morbo succurrere medicamine salutari, statimus quod quicumque de cetero excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti sententiam animo sustinuerit per annum indurato, etsi in morte beneficium absolutiois satisfactione præstitâ meruerit obtinere, nihilominus tamen in penam contumaciæ ecclesiastica careat sepultura, salva eorum penâ, qui pro hæresi, vel ipsius suspitione artius percelluntur juxta canonicas sanctiones. Nec contrarium docetur *in capit. ut inquisitionis, in fine, hoc tit. in 6.* ubi nullâ præcedente hæresis suspitione, tantum ob contumaciam Magistratus secularis ut hæreticus damnatur. Nam respondetur in eo casu Magistratus seculares, eo ipso, quod executioni non mandant sententias ab Inquisitoribus prolatas contra hæreticos, in foro exteriori hæreticorum fautores credi, *cap. ut officium, in fine, hoc tit. ibi: Hæreticorum fautor ac suspectus creditur.* Et ita accedente contumacia condemnari possunt, juxta textum *in cap. cum contumacia, hoc tit. in 6.*

<sup>b</sup> *Purgatione.* ] Consonant textus *in cap. ad abolendam, supra: cap. accusatus, in princip. eod. tit. lib. 6.* Licet enim in aliis criminibus hujusmodi purgatio, de qua agemus *in titulo de purgat. Canon. jam in desuetudinem abierit, tamen in hoc delicto etiam hodie servatur, cap. 2. cap. super eo, hoc tit. in 6.* Repertor. Inquis. *Verbo Purgatio.* Simanc. *de Cathol. tit. 56.* Quod si suspectus de hæresi hoc modo se non purgaverit, distinguendum est; aut enim per contumaciam & negligentiam recu-

sat purgationem subire, & tunc excommunicari debet, vel alio simili modo coerceri, juxta textum hunc, & in Authentico *Gazaros, Cod. hoc tit.* aut si post susceptam purgationem defecerit in ea, quia cum purgatores non deponunt de illius innocentia, tunc juris præsumptione censetur convictus de hæresi, & pœna ordinaria punitur, juxta regulam textus *in c. de hoc, de simonia, c. cum P. ubi Glossa l. de purgat. canonica: docent Farinac. de hæresi, q. 194. §. 3.* Penna *ad Emericum, 2. p. Direct. comment. 14.* Sotusa *in aphor. c. 38.* Salelles *tom. 3. de materiis Tribun. l. 5. c. 1. regul. 367.* Quo casu procedit textus *in c. 2. hoc tit. in 6.* qui ita conciliari debet cum præfenti §. qui loquitur de eo, qui purgationem subire noluit. Nec obstat, quod paria sunt reculare purgationem, vel in ea deficere, *cap. tuanos, de cobabit. cleric. siquidem in eo textu non docetur, duo hæc æquiparari quoad eandem omninè pœnam incurrendam, sed quoad effectum, ut utroque casu animadversio canonica, id est pœna, juxta sacros canones imponatur: sed alia, diversaque, servatâ distinctione proximè traditâ, juxta quam etiam accipiendus est textus *in §. adjuvamus, hujus capit.**

<sup>c</sup> *Condemnetur.* ] Consonat textus *in c. vultus, cum sequenti, n. 9. 3. c. cum contumacia, hoc tit. lib. 6.* Authent. *Gazaros, Cod. eod.* generaliter enim verum est, quemcumque delinquentem excommunicatum per annum in excommunicatione persistentem, juris præsumptione confiteri crimen, de quo agitur, & generaliter ob illud posse damnari, ut notant Glossa & DD. *in c. cum contumacia, de hæresic. in 6.* & si delictum meretur privationem beneficii, potest contumax elapso anno illo privari, aliâ non, ut notarunt *in c. 1. de judiciis, Abbas n. 24. Rippan. 77. Mantica n. 52. Beroius n. 86.* & alii congesti à Covarr. *in c. alma, l. p. §. 7. n. 10.* Navarr. *in summa, c. 27. n. 13.* Vgolinus *de censur. tab. x. cap. 14. §. 2. n. 5.* Menochius *de arbit. casu 416. n. 11.* Covarr. *dist. §. 7. n. 10.* Gutierrez *1. canon. c. 12.* quod majori ratione procedit in hoc crimine, siquidem credi non potest, Catholicum propriæ innocentie fidentem per annum persistere in eo improbo statu, si ab objectis se defendi posse credat; unde præsumitur, id facere propter criminis conscientiam, & quia majora mala, & pœnas pertimescit. Accedit, quia persistentia in excommunicatione per annum arguit præsumptionem hæresis, *c. ult. de pœnis, Trident. sess. 25. de reform. c. 32.* quasi de Sacramentis & suffragiis Ecclesiæ malè sentiat is, qui per annum patitur se illis privari; & ita ex hoc magis confirmatur suspicio hæresis, pro qua purgatio illi indicta est, quamvis aliâs qui deficit in purgatione, quam admisit, statim absq; excommunicatione, & anni termino ut hæreticus condemnentur: in qua specie procedunt textus *in c. ad abolendam, vers. Cui vero, hoc tit. inter, vers. ult. de purgat. can.* in præfenti ergo casu sufficit ad condemnationem præsumptio proximè tradita, nec aliâ probatio requiritur, ut in simili casu probatur *in c. cum contumacia, hoc tit. in 6.*

§ 3

N. 6

Nec obstat, quod contumax non condemnatur definitivè in causa principali, nisi adsint probationes concludentes, l. *properandum*, §. *si autem*, C. *de judiciis*, Authent. *qui semel*, C. *quomodo*, & *quando*: quia in præfenti non tantum adest contumacia suspecti de hæresi, quæ ex juris auctoritate in casibus expressis sufficit ad condemnationem, & ut contumax pro confesso habeatur, & judicetur,

cap. 2. de *confessis*, lib. 6. cum aliis congestis ab Alexandro in l. *contumacia*, ff. *de re judic.* In præfenti enim casu aderat suspicio hæresis, ob quam purgatio indicta fuit, quæ conjuncta cum infordeſcentia in excommunicatione per annum, sufficit, ut talis reus tanquam hæreticus condemnetur, ut latius prosequuntur Salelles *dict. lib. 5. regul. 194.* Carrena de offic. *Inquisit. 2. p. titul. 17. §. 2.*

S.

**M**oneantur autem, & inducantur, & si necesse fuerit, per censuras ecclesiasticas compellantur sæculares a Potestates, quibuscunque fungantur officiis, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subiectis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quod amodò quocumque quis fuerit in potestatem, sive perpetuam, sive temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Si verò Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab hæretica sceditate, per Metropolitanum, & cæteros comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur: & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut extunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure Domini principalis: dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege servatà circa eos, qui non habent Dominos principales.

## NOTÆ.

1. a **P**otestates.] Consonant textus in cap. ad abolendam, supra hoc tit. Authentica *Gazaros*, Authentica si vero, Cod. hoc tit. ex quibus desumptus est §. hic. Principum enim, & Magistratum sæcularium est opem ferre Ecclesiæ contra hæreticos, cap. *invenitur* 41. cap. *sicut* 47. 23. *quest. 4.* Leo Magnus in Synodo Romana *epist. 23. ad Theodos. Imperator.* ibi: *Defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, ut & vestrum Christi dexterâ defendatur Imperium* Et *epist. 71. & 73. ad Leonem Imperatorem.* Concil. Tolet. 8. *can. 10.* *Principes erunt Catholici fidei assertores, eamque, & hanc, qua imminet, Iudæorum perfidiam, & cunctarum hæresum injuriam defendentes.* Milevit. *can. 11.* *Adversus hæreticos vel paganos, vel eorum superstitiones Legati missi de hoc Concilio quicquid utile providerint, à*

*Gloriossimis Principibus impetrent.* Plura Ant. August. in *epist. lib. 11. tit. 11.* Petrus Gregor. *lib. 2. part. tit. 5. cap. 5. & lib. 13. de repub. cap. 6.* Kochier *lib. 2. polit. cap. 5.* Quare variis constitutionibus caurum est, ut Principes, & Potestates sæculares præstent juramentum protegendi fidem, cap. ad abolendam, §. *statuimus*, hoc titul. Innoc. IV. in constitutione, quæ incipit: *Ad extirpanda.* Clemens IV. in constitutione, quæ similiter incipit: *Ad extirpanda.* Fridericus Imper. in d. *Authent. Gazaros*, *authent. statuimus*, Cod. de *Episcop. audient.* Refert Penna in *præsenti*, & 3. part. *Direct. comment. 1. 2. & 3.* quod juramentum præstari solebat tactis sacrosanctis Evangelii, & flexis genibus, ut de eo juramento agentes referunt Farinac. de *hæresi* 9. 182. n. 22. Salelles *tom. 1. lib. 1. de materiis Tribunal. c. 4. regul. 13.* etsi de iustitia hujus constitutionis dubitet Roulfel. *lib. 3. hist. cap. 3. num. 8.*

S.

**C**atholici verò, qui crucis assumpto caractere ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illà gaudeant indulgentiâ, illoque sancto privilegio sint muniti, quæ a accedentibus in Terrâ sanctâ subsidium conceduntur.

## NOTÆ.

2. a **A**ccedentibus.] De quibus in cap. quod 8. de voto: & ita congregatio Crucesignatorum instituta pro ministerio sancti officii, eisdem gratiis, ac indulgentiis gaudet, ac congregatio Crucesignatorum, qui pro expeditione Terræ sanctæ crucem assumpserunt. Penna ad *Eymericum 2. part. comment. 78.* Simancas de *Cathol. tit. 41. nu-*

*mero 15.* Paramus de *origine Inquisit. lib. 2. titul. 1. cap. 3. num. 2. & cap. 4. num. 10.* Quare ratione antiquitatis, instituti, & status puritatis sanguinis, omnes alias præcedere debet, ut doctè probat *Burratus consil. ....* qui docet Inquisitores esse Duces, & Rectores ipsius Congregationis, seu Confraternitatis. Unde causæ ejus privativè ad jurisdictionem sanctæ Inquisitionis spectant, absque eo, quod Ordinarii locorum de eis cognoscere possunt.

S.

S.

Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores Hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere, firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso jure sit factus a infamis, nec ad publica officia, seu Concilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis b successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque c negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè Judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, nullatenus ejus patrocinium admittatur: si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur, & in similibus idem præcipimus observari. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, ut in quo major est culpa, gravior exerceatur d vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia usque ad satisfactionem idoneam e percellantur. Sanè Clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere f sepulturæ, nec elemosynas, aut oblationes eorum percipiant, alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc infligatur, ut eorum privilegia in illa Diocesi non serventur, in quales excessus præsumpserint perpetrare.

## NOTÆ.

a [Infamis.] Elapso anno videlicet, *authent. credentes, Cod. hoc. titul.* ex qua transcriptus est textus hic: in quo differunt credentes ab hæreticis, qui ipso jure infames fiunt. *Authent. Gazaros, Cod. hoc. tit. cap. inquisitionis, hoc. titul. in 6.* Et licet textus hic innovatus sit in cap. 2. §. hæretici, hoc. tit. in 6. tamen quoad hanc penam in famia nihil immutatum est, siquidem tantum eam incurrunnt credentes, & similes post annum.

b [Successionem.] Juxta tradita in cap. 5. & 6. *hic. titul. Fermosinus alleg. 36. Castillo lib. 5. contror. cap. 137.*

c [Negotio.] Et debito civili, à quo debitor omnino non liberatur, siquidem talis obligatio in fisco transfunditur, ut dicemus infra in cap. final.

d [Vindicta.] Juxta textum in cap. *cum quidam, de jurejur.*

e [Percellatur.] Ut contingit incommunicantibus cum aliis excommunicatis, ut dicemus in c. quod in dubiis, de sent. excom.

f [Sepultura.] Juxta tradita supra in cap. 8. & probat Salcedo ad Bernard. Diaz, in praxi cap. 115.

## COMMENTARIUM.

4. **EX** hoc textu, qui ad verbum transcriptus est ex cap. ad abolendam, hoc titulo, *authent. Gazaros, authent. credentes, C. hoc. titulo,* talis deducitur assertio: *Credentes, defensores, receptatores, & fautores hæreticorum excommunicantur, & elapso anno, nec respicientes, infames fiunt. Probant tex. in c. ad abolendam, cap. si adversus, c. excommunicamus 16. §. final. in fine, hoc titulo, cap. quicumque 2. §. hæretici, c. ut officium 11. in princip. c. accusatus 8. §. Sacerdotes, eod. tit. lib. 6. cap. in partibus 10. hoc titul. in 1. collect. authent. Gazaros, authent. credentes, Cod. hoc. titulo, cap. noverit, de sentent. excom. cap. super quibusdam, de VS. l. 4. C. Theodos. de his qui super re-*

*ligione contendunt, Eugenius III. in Concil. Rheimenli, canon. 17. Nullus omnino hominum hæresiarthas, & eorum sequaces, qui in partibus Guasconia, aut Provincia, vel alibi commorantur, manuteneat, vel defendat, nec aliquis eis in terra sua receptaculū præbeat. Si quis autem vel eos de cætero retinere, vel ad alias partes proficiscens eorum errori consentiens recipere fortè præsumpserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, & in terris eorum donec condignè satisfaciunt, divina celebrari officia interdiciamus. Concil. Tolet. 1. canon. 12. Epau. canon. 15. Aurel. 3. canon. 30. quorum verba refert Ant. August. in epitom. juris lib. 11. tit. 22. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsent. Turriscrem. lib. 4. summa, c. 21. Sessè tom. 4. decis. 473. cum sequent. Petrus Greg. lib. 2. part. iii. c. cap. 7. Gutierrez de delict. lib. 1. qu. 49. Vighellius in method. juris can. fol. 119. Azor. tom. 1. institut. lib. 8. c. 15. Fragofo part. 1. de regim. Christ. Rusp. lib. 1. disput. 2. §. 7. & part. 2. lib. 1. disput. 3. §. 1. Duardus in Bullam cæna Domini, lib. 2. canon. 1. quest. 28. Carena 2. part. de offic. Inquis. rit. 4. n. 38. Castropalao tom. 1. oper. moral. tract. 4. disput. 3. punct. 5. Diana part. 4. tract. 7. resol. 21. Salelles lib. 1. de materis tribun. c. 12. regul. 103. cum sequenti Bordon sacri Tribun. c. 10. num. 70. Borellus de præstantia Regis, c. 16. Pegado q. 2. Fife. Solorzanus tom. 1. de jure Indiar lib. 2. c. 13. Scortia in select. ept. 9. theorem. 27. Suarez de fide disput. 24. sect. 1.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: qui hæresim extirpare potest, & non facit, particeps sceleris redditur, cap. *qui aliorum 24. quest. 3. probavi supra in cap. 2. hoc. titul.* Ergo credentes, fautores, & defensores hæreticorum, qui non solum eos non deferunt Inquisitoribus, verum eos fovent, & defendunt, eisdem pœnis ac hæretici sunt puniendi. Augetur hæc difficultas ex c. penult. §. 1. hoc. tit. ibi: *Credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter judicamus.* Ergo eisdem pœnis ac hæretici sunt plectendi. Tandem augetur hæc difficultas ex eo,

S 4 nam

5. Impugnatur hæc assertio.

nam receptatores aliorum reorum eisdem pœnis ac ipsi criminosi plectuntur, l. i. ff. de receptoribus, ubi scriptum est, pessimum esse genus receptorum, sine quibus nemo diu latere possit; & idem perinde puniendos esse, atque latrones, quos susceperint: & in l. i. C. eod. tit. sancitum est, ut pœna reos, atque eorum receptatores expectet. Paulus lib. 5. sentent. tit. 3. ibi: Eadem pœna afficiuntur. Et in l. 3. §. si quisquam 12 ff. ad Syllaniam. is qui servum facinoris noxium eclaverit, in ea causa habetur, ac si lege, quæ de faciaris lata est, facinoris noxius esset: in l. 3. §. non tantum, ff. de incend. ruina, l. crimen 9. Cod. ad leg. Jul. de vi, cum dicitur non minus delinquere receptatorem, quàm aggressorem, satis innuitur, pari pœna utrumque plectendum esse. Et in l. unic. C. de crimine peculatus, rescriptum est, eadem pœna afficiendum peculatorem, & qui sciens peculatori finem præbuerit. Ergo receptatores etiam hæreticorum eisdem pœnis ac ipsi hæretici puniri debent.

6. Quâ difficultate ita fulcra non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, magnam differentiam versari inter credentes & defensores hæresum; & inter credentes, & defensores hæreticorum. Illi enim dicuntur, & sunt omnes, qui licet explicite nullam hæresim credant, aut defendant (quo casu hæretici sunt) implicite tamen, verbis, vel factis credunt erroribus illis, quos sciunt esse contra fidem: ut si quis generaliter credat veram esse sectam Lutheri, quam scit fidei esse contrariam; licet in particulari nullum errorem sequatur, dicitur hæreticus ex eo, quod implicite sic credit hæresibus. Quo casu procedit textus in dict. cap. penult. vers. Credentes, hoc tit. quem ita accipiunt Grillandus de hæreticis, qu. 9. Villadiego eod. tract. quæst. 16. Castro lib. 1. de justa hæretic. punit. cap. 17. Thomas Delbene de offic. Inquisit. part. 1. dubit. 14. Murga tom. 2. tract. 1. an. 2. Sic etiam ad hunc casum referendi sunt textus in cap. qui aliorum 24. quæst. 3. & in cap. super quibusdam, de K. S. cap. filii, hoc tit. in 6. Alii sunt credentes, & defensores hæreticorum, qui nec etiam implicite credunt, nec defendunt hæreses illorum, sed simpliciter credunt, & fidunt personis hæreticorum, eisdem, vel res ipsorum defendunt, nullâ habitâ ratione ad hæreses, quas execrantur; unde non sunt hæretici, quia nec implicite habent errorem contra fidem. Textus optimus in cap. accusatus, §. si verò, in princip. ibi: Non tamen existens hæreticus, hoc tit. in 6. Et de his credentibus, ac defensoribus agitur in præsentis textu, & aliis pro ejus illustratione adductis: docuerunt Scorria in select. epit. 9. theore. 37. Fragoso dict. disput. 3. §. 1. Palao dict. disput. 2. punct. 5. Salelles dict. regul. 103. Bordonus dict. cap. 10. num. 86. Unde deducitur ratio, cur Martinus V. & alii Pontifices in prima clausula Bullæ cœnæ omiserint verbum credentes, quod alii adjecerunt, quia scilicet aut credentes credunt erroribus, & sub nomine hæreticorum continentur; aut hæreticis, & tunc sub nomine defensorum, vel fautorum includuntur: sed Innocentius III. in præsentis, & Bonifacius VIII. in dict. cap. 2. §. hæretici hoc titulo, expresserunt credentes, defensores, & fautores, ut majori claritate sub illis verbis comprehenderent modos non tantum speciales, sed etiam generaliter omnes, quibus fore veri defendivè possent hæretici.

7. Deinde sciendum est fautorem hæretici cum dici, qui commisione favet hæretico, defendendo,

receptando, vel non puniendo illum: & ita triplici modo, omissione videlicet, factio, vel verbo crimen hoc admittitur. Omissionem cum hæretici non puniuntur ab iis, qui eos damnare possunt: factio, cum defenditur, aut receptatur: verbo, cum consilium illis datur. Nec desideratur, quod fautor habeat formalem intentionem favendi hæretico ratione hæresis, sed sufficit illi præstare favorem ex causa hæresis, sine tali voluntate, cum ex actu tendente in hæreticum satis cognoscatur fautoria; siquidem ille favor non præstaretur, si non esset hæreticus. Sufficit ergo facere illum actum, ex quo sequitur favor; nam in eo virtualiter, & interpretativè comprehenditur ea voluntas, & intentio, ut docuerunt Suarez de fide disput. 24. sect. 1. num. 7. Carena part. 2. tit. 4. num. 40. Illud tamen certum est, non posse procedi contra fautores, nisi prius constet, personam, cui præstus fuit favor in causa hæresis, ut resolvunt Farinac. de hæresi quæst. 132. num. 11. Carena 2. part. tit. 4. num. 19. Defensores hæreticorum illi dicuntur, qui personas eorum armis & viribus suis, vel officio, ut Advocati, & similes, defendunt; nam si errores ipsorum defendant, formaliter hæretici dicuntur. Tandem receptatores sunt, qui hæreticos recipiunt, aut occultant, ratione hæresis, ut latè probat Thomas Delbene part. 1. de offic. Inquisit. dub. 26. Murga tom. 2. disquisit. tract. 1. dub. 3 & 4. P. Mendo in Suarez, disert. 1. quæst. 6. qui resolvit, hujusmodi fautores & receptatores adhuc absolvi posse virtute Bullæ Cruciatæ.

Deinde sciendum est, credentes, fautores, defensores, & receptatores hæreticorum non puniri pœnis hæreticorum; nam is, qui hæreticus non est, sed levius deliquit, non punitur pœnis hæretici, juxta regulam capitis pœna. de pœni. dist. 1. & licet in nonnullis Ecclesiæ canonibus exæquantur hæreticis fautores, & defensores, id intelligendum est quoad modum procedendi, ut in cap. Præsidentes, cap. in fidei, cap. ut officium, cap. ut commissi, cap. contra Christianos, cap. ut inquisitionis, hoc tit. lib. 6. & quoad nonnullas pœnas omnibus communes, veluti quoad abjuracionem hæresis, de qua sunt suspecti, cap. ut officium, vers. Si verò, hoc tit. in 6. Dubitari tamen solet, an illi de levi tantum, vel de vehementi suspitione abjurare debeant. Et probabilis est, credentes, defensores, & similes de vehementi abjurare debere: tum quia talis videtur esse suspicio contra illos; nec enim pro levitot pœnas imponerent Innocentius in præsentis, & Bonifacius in d. cap. 2. §. hæretici, hoc tit. in 6. tum etiam, quia in eodem c. 2. §. ille, docetur ex favore, & defensione hæreticorum insurgere vehementem hæresis suspitionem; sed semper attendenda est qualitas personæ faventis, vel receptantis, ut suspicio levis, vel vehementis oriatur, ut resolvunt Emericus 2. part. direct. quæst. 56. num. 6. Carena dict. tit. 4. num. 20. Castropalao dict. tract. 4. disput. 7. Salelles dict. regul. 101. qui latius de hac abjuracione agunt.

His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo provenit; nam is qui crimen commisit, in quo alterius criminis suspicio continetur, ultra pœnas illius, potest ut suspectus de alio coerceri: at qui credentes hæreticorum, & similes, sunt suspecti

pecti de hæresi: igitur ob eam suspicionem rectè puniuntur, nisi ex aliqua iusta causa suspicio hæresis cesserit, dicitur cap. accusatus, §. ille, veluti si ad sit ignorantia probabilis, argumento capitis felicis, ubi: *Scienter, de pœnis in l. 6. 3. vers. Quid enim ff. de incendio, ruina.* Docent Grillandus de hæric. qu. 9. num. 3. Simancas de Catholicis. cap. 15. nu. 17. qui accipiunt præsentem textum in credentibus, & defensoribus hæreticorum, quos sciebant esse hæreticos. Sic similiter iusta ne essitas, seu coactio excusat crimen hoc, ut resolvit Carrierius num. 167. Menoch. de arbitr. casu 349. num. 16. Etiam receptans hæreticum ob sanguinis propinquitatem, minori pœna afficiendus est, ut resolvent Diana 4 part. tract. 7. res. 21. Salelles ubi supra, regul. 105. num. 229. Bordonus sacri tribunal. cap. 10. num. 82.

10. Dissol-  
vitur  
dubi-  
tandi  
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam etsi ab Interpretibus dubitetur, an privatus sciens aliquem hæreticum, & eum non denuncians, fautor, seu defensor, ac de hæresi suspectus credatur; & non desint, qui affirmant ex tali omissione denunciationis insurgere violentam suspicionem hæresis, seu fautoria, ut resolvit Casto de iusta hæretic. puni. lib. 2. c. 25. probabilius tamen est, ex sola omissione denunciationis sine aliis conjecturis non provenire ullam hæresis, aut fautoria præsumptionem, nec ob igationem ullo modo abjurandi: sed denunciare hæreticos omittentem esse graviter puniendum, solummodò ut inobedientem præceptis Inquisitionis, resolvent Suarez de fide disput. 20. sect. 4. nu. 28. Transmiera in stimulo fidei, quest. 3. cap. 7. Salelles tom. 3. lib. 5. de mater. tribunal. regul. 390. Undè licet teneatur quilibet Catholicus denunciare hæreticos, juxta tradita in cap. 2. hoc tit. non tamen si omittat, ideo ut hæreticus, seu tanquam suspectus de hæresi puniri valet. Nec obstat textus in dicto cap. penult. hoc tit. §. 1. Procedit enim in credentibus hæresum, non hæreticorum, qui verè hæretici sunt, juxta supra tradita. In præsentem verò textum agitur de credentibus hæreticorum, qui tantum suspecti de hæresi sunt, juxta supra tradita. Nec obstat tandem quod de receptoribus expendamus; nam

omissis quæ de eorum pœnis in aliis criminibus congesserunt Ant. Marthæus de criminibus ad tit. de receptoribus, Gaillus de pace lib. 1. cap. 10. Plazza de delict. cap. 36. Menoch. de arbitr. casu 368. Gratian. disceptat. volum. 4. cap. 368. ex num. 4. Giurba consil. 8. Cyriacus contro. 345. D. Nicol. Anton. de exilio lib. 2. cap. final. dicendum est, discrimen esse constituendum inter eos, qui ante delictum commissum, ut committatur, vel in ipso dum committitur, aliquem recipiunt, vel occultant; & inter eos, qui omninò post illud consummatum recipiunt. Priores enim tanquam participes delicti pari pœnâ afficiuntur cum ipsis delinquentibus, juxta sententiam Bartoli communiter receptam in l. furti, §. ope, num. 2. ff. de furtis: quo casu procedit textus in di. l. ff. de recept. ubi agitur de iis, qui latronem cum re ipsa ablata recipiunt, qui cum durante contrafectione furtum committant, l. in faciendo 69. §. infans, ff. de furtis, illi tanquam recipientes delinquentem in ipso delicto, pari pœna plectuntur. Bartolus in di. l. furtum, Gomez lib. 3. variar. cap. 5. colum. penult. Cæterum ubi quis recipit, vel occultat reum post delictum consummatum, quia levius peccat, & non est causa proxima delicti, eadem pœna non punitur cum reo principali, sed leviori regulariter. l. final. §. final. ff. de absq. l. vim 39. §. mulierem, ff. ad l. g. l. de adult. l. Metrodorum 40. ff. de pœnis. Dixi regulariter, quia nonnullis in casibus contrariù reperitur in jure expressum, ut in cap. felicis, de pœnis in 6. cap. 1. de homicid. lib. 6. cap. 1. de schismat. eod. lib. clement. 1. de pœnis, cap. 1. §. conventiculos, de pace juram. firmanda. Meritò ergo receptatores hæreticorum, qui post delictum hæresis commissum eos recipiunt, non puniuntur eisdem pœnis ac hæretici, quidquid velint Glossa & repetentes in cap. 2. hoc tit. in 6. quorum sententia defendi potest in his, qui recipiunt, vel occultant ad hæresim committendam, vel in ipso crimine, aut cum occultant caprum, vel capiendum quo casu accipiendus est Pius V. in constitutione relata à Navarro cap. 27. num. 56. ubi refert, velut hæreticos puniri recipientes, vel occultantes hæreticos.

S.

Quia verò nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? omnes qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè, vel privatim prædicationis officium usurpare præsumperint, excommunicationis vinculo innodentur: & nisi quameitiùs resipuerint, alias competenti pœnâ plectentur.

NOTÆ.

- 1. a **Mittantur.** ] Secunda ad Timoth. cap. 3. & ad Roman. cap. 10. Faciunt textus in cap. innovo, 21. dist. Trident. sess. 5. de reform. cap. 1. & sess. 24. cap. 4. Quare Isaias dicebat ad Dominum: Ecce ego, mitte me. Refertur in cap. scriptis 8. quest. 11.
- 2. b **Episcopolocum.** ] Qui debet licentiam prædi-

candi concedere, ut latè probat Barbosa de potest. Episcop. alleg. 71. & in summa Apostolic. verbo Prædicare: & illam ex justis causis potest denegare, aut jam concessam revocare, ita ut in sua Diœcesi, nec etiam in propriis Ecclesiis Regulares exempti prædicent, quidquid sua tantum fretus auctoritate asseruerit audax Brunus Chafsaing. de Privilegiis Regul. tractat. 6. cap. 1. per totum.

§.



S.

**A**Djicimus insuper, ut quilibet Archiepiscopus, vel <sup>a</sup> Episcopus, per se, aut per Archidiaconum suum, aut alias honestas, idoneasque personas bis, aut saltem semel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres, aut plures boni testimonii viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam jurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu à communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos Episcopo studeat indicare. Ipse autem Episcopus ad præsentiam suam convocet accusatos, qui nisi se ab objecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè <sup>b</sup> puniantur. Si qui verò ex eis juramenti Religionem obstinatione damnabili respuentes, jurare fortè noluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici reputentur. Volumus igitur, & mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, ut ad hæc efficaciter exequenda Episcopi per Dioceses suas diligenter <sup>c</sup> invigilent, si canonicam velint effugere ultionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua Diocesi hæretici pravitate fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis indiciis apparuerit, & ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituitur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere pravitate.

## NOTÆ.

<sup>3.</sup> **a** Episcopus.] Cujus præcipuum munus est hæreticos extirpare, hæreticosque punire. Felix Papa epist. 3. ibi: *Fratres horror dilectionem vestram, & obsecror, & moneo, ut quæ debetis, & potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos hæreticos.* Sixtus II. epist. 1. ad Gratum Episcop. ibi: *Tuam moneo dilectionem, ut cunctos, quos errare cognoveris, ad Catholicam fidem, & ad unitatem rectè credentium convertere studeas.* Leo Mag. epist. 2. ad Episc. Italia, & 74. vel 76. ad Anatholium Episc. & epist. 80. ad Julian. Episc. Concil. Carthag. can. 124. *Si in matrice, vel in Sede Episcopus negligens fuerit contra hæreticos, admonetur à vicinis Episcopis: & si ab eo die intra sex menses in Provincia sua non conveniat ad unionem Ecclesie Catholice alios, non ei communicetur donec id fiat.* Refert Ant. Aug. in epit. juris lib. 4. tit. 58. & probavi in c. 2. hoc tit. l. 1. C. Theodos. de Relig. Novella 3. Valentini, D. Ambrosius epist. 32. l. Gothof. in dict. l. 1. Adhuc enim his temporibus Alexandri, & Innoc. non erat Inquisitorum jurisdicção statuta, quæ per sequentes Summos Pontifices concessa, & instituta fuit; nam cum Episcopi cæpissent variis negotiis implicari, Diocesiumque non per se, sed per alios

regere; hæreticique non solum latenter, verum & palam venenum effunderent, oportuit Judices peculiare peritissimos, & Religione præstantes instituere in qualibet Provincia, ut inquirerent, punirentque hæreticos, & de hæresi suspectos; non tamen ideo sublata fuit hæc facultas Episcopis, qui ut ordinarii Inquisitores hæresum simul cum ipsis Inquisitoribus possunt procedere, & in ipsis causis fidei decidendis suffragium decisivum habent; non autem ad pœnam procedere possunt, immò si quam receperunt probationem, tenentur eam Inquisitoribus transmittere. Molina de justitia disp. 28. n. 13. Carena de offic. Inquisit. l. p. tit. 4. §. 3. num. 20. Villaroël. p. 1. regim. Eccles. q. 5. art. 1. De origine autem jurisdicçãois, & officii sanctæ Inquisitionis in genere agunt Paramus de officio sanctæ Inquisit. lib. 1. per totum Salettes to. 1. de mater. Tribun. sanctæ Inquisit. lib. 1. in prologom. de origine sanctæ Inquisitionis, specialiter in Hispaniarum Regnis: eruditè, & late agit Tamayus à Salazar in Martyrol. Hispan. tom. 2. die 29. Aprilis, Thomas Delbene part. 2. de offic. Inquisit. dub. 195. Fragofo tom. 2. de regimine.

**b.** Puniantur.] Juxta tradita supra in cap. excommunicamus, §. illi autem.

**c.** Invigilent.] Juxta supra tradita in c. 2. hoc tit.

## CAPUT XIV.

Gregorius IX, Archiepiscopo <sup>a</sup> Mediolan.

**S**icut in uno corpore. *Et infra:* Cum igitur nonnulli laici prædicare præsumant, & verendum nimis existat, nè vitia sub specie virtutum subintrent; nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi præcipuus: mandamus, quatenus cum alios Dominus Apostolos dederit, alios Prophetas, alios verò Doctores, interdicas laicis universis, cujuscunque ordinis censeantur, usurpare officium prædicandi.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> Mediolan.] De Metropoli hac Mediola-

nensi egi in cap. 17. de rescriptis. Hujus textus commentarium dedi supra in cap. cum ex injuncto.

CAPUT